Theses theologicae.

Numéro d'inventaire : 1980.00014.39
Auteur(s) : Jean Terrade
Type de document : affiche
Éditeur : non renseigné (Toulouse)
Imprimeur : Pierre Robert
Période de création : 3e quart 18e siècle
Date de création : 1756
Description : Une feuille de papier mince. Texte imprimé en colonnes avec frise de séparation. Estampe de petit format dans la partie supérieure (gravure au burin). Les bords sont froissés. La feuille a été pliées de nombreuses fois. Des essais de calligraphie à l'encre au verso. L'encre brunie transparaît dans le quart supérieur droit au recto.
Mesures : hauteur : 524 mm ; largeur : 410 mm
Notes : Affiche annonçant les thèses de théologie que doit soutenir, "pro sorbonica" (il s'agit de la troisième des trois thèses à présenter pour la licence, et qui donne lieu à une soutenance solennelle), Jean Terrade, bachelier de théologie, le 7 mai 1756 "in publico theologiae lycaeo". Ces thèses traitent de l'incarnation et des prophéties annonçant la venue du Messie, de l'Eglise et des sacrements. L'estampe figure l'assomption de la Vierge, encadrée par une série de représentations symboliques.
Mots-clés : Affiches de thèses et d'exercices publics
Filière : Université
Niveau : Supérieur
Autres descriptions : Langue : Français
Nombre de pages : 1
ill.

VIRGINI DEIPARÆ
SINE LABE CONCEPTÆ,
SE, SUASQUE THESES THEOLOGICAS,

JOANNES TERRADE, Clericus Vicenſis, Diœceſis Auſcitanæ, in ſacrâ Theologiâ Baccalaureus,

D. D. D.

SAPIENTIA ÆDIFICAVIT....

I.

IN exordio beatitudinis, quoad ſubſtantiam, myſterium regni Dei, incarnationem ſcilicèt, noverunt Angeli ita D. Thom. 3. p. Q. 57. Quam ſi noſcere Demones potuiſſent Judæorum potiùs animos temperare, quam injuſtis odiis, ſtuduiſſent, accendere. S. *Leo de* Paſſione Domini, hujus explicitam fidem ante peccatum habuit Adamus. D. Thom. 2. 2. Q. 2. A. 7. Poſt peccatum autem creditum hoc fuit myſterium etiam, quantum ad paſſionem quâ humanum genus à peccato & morte liberaretur. Tanto autem Judæi diſtinctiùs, incarnationem novere quanto Chriſto propinquiores fuerunt. 3. p. Q. 2. A. 2. Nec incongruè creditur fuiſſe & in aliis gentibus quibus hoc myſterium revelatum eſt. In Chriſto autem Domino noſtro peractum gaudemus quod prophetaverat Iſaïas, cap. 70. ℣. 14. Virgo concipiet & pariet Filium & vocabitur Nomen ejus Emmanuel; hunc noverant, antiqui miriſicum Patrum Rabbini pudendum recentioribus negare, & ab his & à criſticis turpè Judaïſantibus hæc veritas vindicabitur.

II.

IN Bethleem peperit Filium ſuum primogenitum Maria Virgo quem manifeſtum eſt ex Juda ortum, Hæ. 7. ℣. 14. Quod enim in oculis erat Judæorum id nobis exhibuere Evangeliſtæ, Mathæus, cùm Joſeph Genealogiam texens, ad Davidem uſque perduxerit, Lucas verò ſtemma Mariæ ab Heli ad eundem deſcripſerit, ut adimpleretur quod Gen. 3. ℣. 15. dicitur de Chriſto, ubi ſemen mulieris appellatur. Huic erat repoſitum verò ſilo Sceptrum de quo Jacob, Geneſeos 49. ℣. 10. Ubi Prophetam quatuor indigitaſſe contendit Huetius 1°. His verbis non auferetur Sceptrum de Juda, æternâ Sceptri poſſeſſio Judæ ſpondetur. Altero Prophetiæ membro, & dux de ſœmore ejus, temporarius, & caducus Judæ ſolius præſignicatur Principatus, variis obnoxius anfractibus. Tertio eſt iſtud donec veniat qui mittendus eſt, quo temporarii ejus regni finis & Meſſiæ adventus prædicuntur, & ipſe erit expectatio gentium, quo Meſſiæ Regnum, non Chananeæ Terræ clauſum anguſtiis, ſed quaqua verſus, per omnem orbem patens, & ſpiritale futurum nunciatur. Ita Huetius, Prop. 9. Cap. 4. n. 7. Quoquo modo autem hæc intelligatur Prophetia, cùm Chriſto invictiſſimè aptanda ſit, ea convicti, verùm, non quem peiorem mentiuntur advenisse Meſſiam fateantur Judæi, huncque Jeſum noſtrum Mariæ Filium, vel cæcutientes pergendo venturum deſperent.

III.

VENIT ergo tempore ſuo Jeſu noſter verus Meſſias in quo adeo apertè quadrant Meſſiæ caracteres, ut & ipſam Meſſiam quem ſuum dedignabantur venerari Meſſiam fateri coacti ſint Judæi quidam, mirabilemque virum genuinus Joſephus laudaverit, Lib. antiquit. 18. Cap. 4°. Venturus enim erat adhuc exiſtente Templo. 2°. Aggæi 2. 14. Ei viam paraturus mittendus erat Angelus, nec foſilem pompam Judæorum affectans, ſed pauper & humilis, & ſimul dominator, & Rex, Chriſtus denique qui Danielis 9°. diſtinctiſſimè predicitur ungendus & in medio hebdomadis excindendus. Superat eventus liberaliſſimos chronologorum calculos, qui tamen ſi ſanius apponerentur rem conficiunt; ſanius autem computantur, initium 70 hebdomadarum ſi deducamus, à vigeſimo Artaxerſis Longimani anno quem computat Nehæmias ab anno 12°. regni Xerſis quo in ſocietatem regni fuit à Patre, Artaxerſes appellatus. Unde miriſicè adimpletam excisi Chriſti palpaveris Prophetiam in medio hebdom. ſeptuageſimæ, anno ſcilicèt æræ vulgaris 33° die veneris Lunâ 14 menſis Niſan, confoſſiſque pedibus manibuſque in cruce pendentem, ut de ipſo decantaverat Propheta, miraberis; unde rectè concludit, Hypolitus Martir, in Chronico Paſchali, Chriſtum paſſurum pridie mortis ſuæ, Paſcha non manducaſſe legale, erat enim ille, Paſcha verum, horâ præнotatâ immolandum. 3. Autem die à mortuis reſurrexiſſe adverſus Impios demonſtrabimus. Jamque adimplebatur carmen Jeremiæ 14. faciam Domui huic, &c. quod cadente Hieroſolyma & flagrante Templo fuit adimpletum. Quam ſuperare vel in pœnam dæicidii fateri, in caſſum & ſperant & declinant Judæi; cùm non niſi in noviſſimo dierum à miſeriis urgentibus ſint emerſuri quærentes David Regem ſuum Jeſum-Chriſtum ſcilicèt, quem cùm negant Meſſiam probant. Hunc tamen reſpuiſſe nullam habent excuſationem; ex operibus enim illius evidenter prudenter credibilis erat illius miſſio, novique fœderis cujus ſe autorem profitebatur divinitas.

IV.

QUIS autem ille ſit Meſſias noſter, graphice depingit Joannes 1. ℣. 11. Verbum dicens caro factum; ita ſcilicèt quatenus ſalvâ proprietate utriuſque naturæ, ſuâ propriâ perſonalitate complevit naturam humanam, quod impiam negaſſe Neſtorium falſo negavit Baylius, in Dictionario, Verb. Neſtorius. Hincque pravarum Patronus addictiſſimus cauſarum non canonicè damnatum ab Epheſina Cynodo perfractè contendit. Ergo unum eundemque Deum & hominem, non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ conſiteamur Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum, naturam duplicem complexum in unum, Mediatorem Dei & hominum perſonaliter Deum, realiter hominem Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum, ut habet Paulus. Meritò igitur cùm Gregorio Nazianzeno, Orat. 51. Si quis Sanctam Mariam Deiparam non credat, extra ſidem eſſe contendimus; ſicut enim natura noſtra infirma & ſubjecta ſervituti peccati, per ſemetipſam ſe redimere non valens, à Domino oportebat aſſumi, ſic rurſùs ſine noſtra natura id fieri noluit Deus; ut ait Ruſt. Diaconus unde quod non poterat reddere homo, ſolus Chriſtus reddit pro omnibus, qui ſalvantur pluſquam debent, ait S. Auguſt. de Conceptu Virginali & peccato originali docet nos tandem fides, pro ſidelibus cum reprobis, tùm electis ſanguinem ſuum fudiſſe Chriſtum Dominum noſtrum.

SIBI DOMUM.....

I.

INCARNATUM Verbum acquiſivit ſibi Eccleſiam ſanguine ſuo, Eccleſiam, hic dico militantem quæ hominum in una fidei Chriſtianæ profeſſione & eorundem Sacramentorum Communione ſub regimine Paſtorum cùm Petro in ejus ſucceſſoribus communicantium uſque in finem ſæculi, Una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica manſura eſt collectio. Extra quam, quantumvis pius, pro Chriſto licèt ſanguinem fundat, non poteſt ſalvari. Ex lumine igitur naturali hoc manat principium, cuicumque, ineluctabilem eam inquirendi, incumbere curam, eique adhærere, tùm naturali, tùm divino jure quemcumque urgeri. Richærius, &c. *cap.* 3. Hinc inventu facilem qui vult omnes ad agnitionem veritatis venire, Deus optimus Eccleſiam diſpoſuit. Cunctis enim extat clara atque perſpicua. 1°. Unitate Sacramentorum & ſubjectionis erga Paſtores legitimos; unde qui cum Pontifice, & Epiſcopis illi in fide adhærentibus, ſive probis, ſive improbis, ſive ſancti, ſive mali videantur, communicare renuat, verè ſchiſmaticus eſt; ad Cathedram enim Petri, propter potiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam: hæc enim eſt veritatis centrum, hæc primatum habet juriſdictionis & auctoritatis.

II.

FULGET Eccleſia 1°. unitate fidei, quâ maximè Catholica. Per hoc autem Catholica dicitur quod id teneat & doceat, quod ſemper, quod ab omnibus, quod ubique creditum eſt. Hinc 1°. ſicut hæreſeon novitas, ſic veræ, germanæque fidei antiquitas certiſſima nota. Hinc 2°. errorem nunquam admiſſuram Eccleſiam, quamcumque veritatem prædicaturam, quemlibet in eâ profligandum errorem, fide tenet Catholicus. Hanc autem Eccleſiam docentem intellige, citra enim omne Catholicorum dubium in dirimendis fidei controverſiis, & regulis morum præſcribendis infallibilem habent veritatis proponendæ auctoritatem, unà cum Summo Pontifice Epiſcoporum major pars, ſive in Concilio œcumenico, ſive in Sedibus ſuis, ſive expreſſè & præcipuè apud quos nata controverſia, ſive tacitè conſent. Sapientiâ enim & divinâ erga homines benignitate fuit digniſſimum indefectibilem & infallibilem auctoritatem ſtabilire, quâ ſimplices veritatem doceret, inflatos ſcientiâ auctoritate confunderet, fluctuantes auctoritate firmaret, revocaret errantes. Quam tollere nituntur qui intimo corde facta dogmatica judicanti Eccleſiæ adhærere recuſant. Ex his pronum eſt quod tenet de Marca, de CC. S. & Imp. Capite nono, vim eorum Decretorumque fidei, morumve controverſias ex Scripturis & antiquâ traditione dirimunt; non à Principibus, ſed Epiſcoporum auctoritate pendere, quibus ſolis paſcendas oves, non Cæſari Chriſtus commiſit. Quia tamen præceptum eſt Reges ut ſerviant Domino, ſervient ut Reges ſi id faciant Hæreticos puniendo, & Catholicam Eccleſiam tuendo, quod non poſſunt facere niſi Reges. Qui tamen ſi inverſo naturali jure gladii ſubditos perſequantur fideles, iſtis rebellare non licet; imò ſubjectionem erga Principes in tormentis etiam exhibentes, præceptum Apoſtoli ultimo complere tenentur.

III.

FRUSTULI hic & illic quos ſervant fidei, Heretici, ſive fundamentales, ſive minores quos blaterant fidem non unam, quam laudat Apoſtolus, ſed mutilam faciunt, non unum corpus Chriſti ſervant, ſed laceratum dilaniant. Una enim & frequentiorum Paſtorum cum Petro doctrina, & una cum ovibus fides, Catholicam conſtituit Eccleſiam; quæ ſicut & fidei profeſſione, ita & locorum & temporum verè eſt Catholica. 1°. Locorum, ita ut præ Sectis omnibus à propagato Evangelio numeroſior, ſingulaſque orbis regiones, ſive ſucceſſivè, ſimulve omnes obtentura ſit: adeo ut quod dixerint Donatiſtæ, poſſe hæreſim occupare orbem, actâ in angulo Eccleſia, horruerint Patres. Nec minus exerceamur, Nicol. Sil. eatenus Catholicam eſſe Eccleſiam, quatenus Sectas complectitur omnes.... Catholica 2°. eſt temporum, quæ uſque ad finem ſæculi eſt duratura, cuique vel momentanea non poteſt indigitari interruptio. Micantes undique Eccleſiæ radios perficit ipſius Sanctitas, non quod ut volunt Novatores electorum tantum ipſa ſit ſanctorum cœtus; ſed 1°. Quod in informandis moribus certiſſimas & infallibiles regulas præſtet. 2°. Quod ſola multos pariat, multoſque habeat, in ea enim, & mali cum bonis, & reprobi cum electis admixti ſunt; qui reprobi, qui mali, tamdiu de Eccleſia ſunt, quamdiu eandem profitentur fidem, legitimiſque Paſtoribus adnectur. Quarta demum eſt Eccleſiæ nota Apoſtolicitas. Tot enim ac tantæ Eccleſiæ una eſt ab Apoſtolis prima, ex quâ omnes, ut ait Tertullianus, de præſcrip. Cap. 2°. Conſtat proindè omnem doctrinam quæ cum Apoſtolicis Eccleſiis matricibus & originalibus, fidei conſpiret veritati eſſe deputandum; omnem verò doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum Apoſtolorum. Has autem omnes notas habet Eccleſia Romana, adeò ut qui ipſi adverſantur non audiendi ſunt ſed cogendi.

EXCIDIT COLUMNAS SEPTEM. Prov. 9. ℣. 1.

I.

EAM autem Eccleſiam, quia hominibus non parietibus conſtat, ſeptem Sacramentis necti & firmari voluit incarnatum Verbum. Sacramentum autem catholicè intellectum, rebus eſt tanquam materiâ, & verbis tanquam formâ conſtans, & perpetuum à Chriſto Domino noſtro inviſibilis gratiæ viſibile ſignum. Nec ergo tantum ſunt ſigna diſtinctiva Populi Chriſtiani, vel ſignificativa juſtitiæ, vel promiſſionum divinarum obſignativa. Septem autem eſſe Sacramenta docet fides Catholica, Baptiſmum ſcilicet, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem & Matrimonium, quorum omnium ſubſtantiam determinavit Chriſtus, quâ, ſalvâ in Sacramentorum diſpenſatione, quidquid voluerit Sancta Eccleſia, poteſt ſtatuere; unde licitè ad unicam ſpeciem Euchariſtiæ admittit Eccleſia Fideles.

II.

SI prætermittatur autem aliquid eorum quæ ad ſubſtantiam pertinent, vel mutetur, Sacramentum efficaciâ caret, niſi ex ſpeciali diſpenſatione illius qui virtutem ſuam non alligavit Sacramentis. Sic non valet, nec valuit, abſque diſtinctâ Trinitatis invocatione Sacramentum Baptiſmi. Nec magis perficitur Sacramentum ſi deſit debita materia. Et Baptiſmus & cætera Sacramenta, nullo excepto, etiam apud Hæreticos ea ritè celebrantes, vera eſſe quis dubitet? Ergo ſi quis eis ſociatus ad Eccleſiam redierit, ubi ſanus connectebatur, non curatur, ſed agnoſcitur. Ita D. Aug. Lib. 1°. de Bap. Cap. 1°. A fortiori ritè miniſtrans, malus Sacerdos, Sacramentum perficit. Miniſtri tamen Domino cùm conformari debeant, Miniſtros ſe, peccati læthalis cùm conſcii ſint, exhibentes in Sacramentorum diſpenſatione, mortaliter peccant. Ex D. Th. 3. Par. Q. 64. A. 6. O. Tenentur autem Miniſtri occultis peccatoribus, occultè petentibus Sacramenta denegare. Nec ut vitetur peccatum licet vel Sacerdoti fictè conſecrare. Vel peccatori à perfido miniſtro fictè conſecratam accipere Hoſtiam,

III.

PRATER Baptiſmum, Confirmationem & Ordinem cætera licet Sacramenta iterare, priora non licet, quòd caracterem indelebilem, ſignum ſcilicet ſpiritale animæ imprimant. Præter Baptiſmi non quivis, ſed qui ritè fuit in Eccleſia ordinatus, verus eſt cæterorum Sacramentorum Miniſter. De Miniſtro ſacramenti Matrimonii hic non inquirimus... Quod ſi aliquod ſacramentale miniſterium à bonis Angelis perficeretur, ratum habendum eſſet. Baptizet autem licèt Sarracenus, modo & veram materiam, legitimamque ſervaverit formam, idque intendat facere quod facit Eccleſia, verè baptiſat. Requiritur enim intentio in Miniſtro, non quidem actualis, ſufficit virtualis, non autem videtur ſufficiens intentio miniſterialis exterior. Per hoc autem maximè ab antiquis diſcrepant novæ Legis Sacramenta, quod iſta, ut aiunt ex opere operato gratiam conferant. Antiqua autem non cauſarent, ſed ſignificarent tantùm. Hæc quæ in Paſſione Chriſti fuere conſummata, ut viva ſine peccato ſervari non poterant, rectè tamen ut mortua à Paſſione Chriſti ad divulgatum Evangelium ſervata ſunt, ut cum honore mortua ſepeliretur Sinagoga. Hinc œcumenii opinionem quæ Cepham cui Paulus in faciem reſtitit, à Sancto Petro diſtinguit, ultro tuebimur.

PRO SORBONICA.

Has Theſes, Deo duce, & auſpice Deiparâ tueri conabitur JOANNES TERRADE, Clericus Vicenſis, Diœceſis Auſcitanæ, in ſacrâ Theologiâ Baccalaureus, *in publico Theologiæ Lyceo.*
Die 7. menſis Maii horâ 9. matutinâ & 2. pomeridianâ anni 1756.

TOLOSÆ, apud PETRUM ROBERT, Typographum & Bibliopolam, ſub Signo Nominis JESU.